

- Pro uxoriibus nostris: currunt de gente in gentem et de populo ad populum, et intrabunt in regnum ullum (Ps. 104, 13).
- Pro civibus: rege eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringas eos (Apoc. 2, 27).
- Pro usurariis: omnes qui ad me venient non iciam foras; et regnabit in eternum et ultra (Ev. Joh. 6, 37 und Apoc. 22, 5).
- Pro pauperibus ¹ sacerdotibus: beatus qui intelligit super egenum et pauperem ², in die mala liberabit eos dominus (Ps. 40, 2).

Oratio.

Deus, qui multitudinem rusticorum seminasti et inter nos et ipsos eternas discordias generasti, da nobis de eorum laboribus bene vivere et eorum mulieribus et filiabus uti et de eorum morte perpetue gaudere nosque eos in mundo bene vexare. Per dominum ipsorum, non Jhesum Cristum, sed perfidum ipsorum creatorem dyabolum ³, cum quo vivant et regnant in straminibus.

3.

Ein Brief von Jacob Wimpfeling (1505).

Mitgeteilt

von Prof. Dr. **Ernst Martin**

in Strafsburg.

Mit einer Monographie über die Germania von J. Wimpfeling beschäftigt, erhielt ich durch die Güte des Herrn D. theol. Pastor Mönckeberg in Hamburg eine ihm zugehörige, handschriftliche Sammlung von Briefen Wimpfeling's, welche dieser selbst angelegt und mit Zusätzen versehen hatte; eine Sammlung, die schon von Lappenberg, Murners Ulenspiegel, S. 422 benutzt worden war. Unter diesen Briefen befindet sich auch der hier folgende,

1) Hs. pauperis.

2) Hs. paperem.

3) Hs. perfidi ipsorum creatore dyaboli.

welcher sich über die *curtisan*i ausspricht, jene Stellenjäger, welche, ohne gründliche Studien gemacht zu haben, durch oft niedrige Dienste in Rom sich die Anwartschaft auf geistliche Pfründen erwarben und dadurch würdige Bewerber auf das empfindlichste benachteiligten. Ihr Treiben hatte Wimpfeling bereits in der 1495 gedruckten Komödie *Stilpho* gegeißelt, von welcher Wilhelm Scherer einen Facsimile-Neudruck in Aussicht gestellt hat. Über die persönliche Erfahrung, die Wimpfeling in seinem Briefe berührt, s. K. Schmidt, *Hist. litt. de l'Alsace* (Paris 1879) I, 47 sqq., es handelte sich um ein Summissariat am Thomasstift. Wer der Jüngling war, den Wimpfeling dem Leiter der hohen Schule zu Deventer empfiehlt, habe ich nicht erfahren können.

Humanissimo viro N. gymnasii Davantrini fidelissimo duci et
praeceptori Wimpfelingius.

Adolescentem harum baiolum unice tibi commendo, mansuetissime preceptor, ut sub alas paterne tue institutionis susceptus in bonis litteris preclarisque moribus proficiat: bone enim indolis mihi semper visus est atque effigies sua non parum spei mihi prestat posse aliquando per eius studium cristianam religionem non mediocriter gaudere, licet admodum verear ab amicis suis ipsum adhuc in adolescentia et etate studiis aptissima Romam transmitti. Dolerem profecto floridam eius juventam vel malis exemplis depravari vel a cepto litterarum studio per serviles occupationes impediri. Dolerem labores quoque tuos apud ipsum inanes esse futuros, tamque utili ac bono fundamento in tua diatriba jacto vile et caducum edificium apud externos super-estructum iri. Misertus sum a multis annis illorum adolescentium qui cum optima ingenia sua per philosophie sacraeque pagine studium ad incrementum cristiane religionis animarumque salutem ex dono dei et nature convertere potuissent, coacti fuerunt illa inter externos adaptare ad scribendas bullas instrumenta libellos ceteraque id genus, quibus vel alii vexantur vel pecunie corraduntur: cumque ad nos revertuntur, ingenio et affectu nonnumquam exciabiliter defecerunt. Ingenio, quia non ad docendum, non ad virtutes plantandas, non ad dirigendos in viam salutis fideles, non ad predicandum utiles et idonei, sed ad acceptanda beneficia, ad citationes, ad protestationes, ad appellationes insinuandas virosque modestos inmodeste vexandos inperterriti facti videntur: sicut me pauperem qui duas gracias absque omni fructu impetraveram, sub amici specie quidam nuper Romam in jus vocavit, cui honestius erat in ecclesia sua curata quam habet personaliter residere et populum instruere quam molestis litibus

et aliorum vexacionibus sese immiscere. Affectu preterea et voluntate: qui cum [lies enim] apud nos ductu suorum preceptorum timorati devoti frugales esse cepissent, postquam urbe inhabitata redeunt, elanguit in aliquibus eorum (ne dicam omnibus) timor domini, tepuit devocio, frugalitas extincta est: quippe qui erecta cervice divagantur, senectam et adversam valetudinem beneficiorum investigant, vacancias explorant, nuncios mittunt, signaturas pro se aut suis impetrant, ceteros quosque citant, bonos inquietant, expensis aut pensionibus gravant, prebendis saciari non possunt, de multis sacerdotiis (quibus indigni sunt), immo de magnis fructibus a curis etiam animarum receptis nullam sibi prorsus conscientiam faciunt. Licet ex infima quandoque fece sati, vilissima etiam in urbe officia gesserint, quoniam ad ardua inepti fuerunt et neque sacrum evangelium neque festos dies neque indulgenciarum bullas aut cetera necessaria in cancellis publicare ausint, quoniam juveniles annos non in fervido studio, sed urbis occupationibus consumpserunt proque laborum mercede gratias aut graciaram effectum consecuti sunt. Et quoniam hanc curtisanorum materiam incidi, cogor epistole limites excedere. Legi ego ipse litteras a reverendissimo quodam prelato ad quandam viduam ex urbe datas, cujus filius aduc tenellus et formosulus ad urbem discursarat, qui cum illic bene haberet, rediturus erat in patriam ut duos alios fratres secum illuc beandos adduceret. Quod ut comperit eximius et honestissimus ille prelatus, matrem per viscera misericordie Christi, per anime salutem, per honorem domine nostre obtestabatur ne de cetero ullum filium (presertim ephobum et inberbem) ad locum illum transmitteret, sed quotquot haberet, ad se suumque episcopatum destinaret in bonis moribus educandos, condigna sorte providendos.

Asportarat quidam mihi notissimus (tener indubie et politus in adolescentia) pingues ex urbe canonicatus nec minus pingues animarum curas. Inter convivandum quidam ex equitibus germanicis acer, factus ad loquendum (forsitan ex mero) liberior, quaesivit ex illo, multis audientibus, quotiens alienigene sese in ipso aduc inberbe abominabiliter oblectassent, ut ad tanta Cristi stipendia, tam brevi tempore, absque omni merito suo (quia homo prorsus inutilis erat) provehi potuisset. Erubuit ille vehementer et obticuit.

Adolescens alter (quem probe novi) ex urbe reversus, insignem in excelsa ecclesia prebendam (quae profundissimo theologie magistro digna fuisset) secum adduxerat. Cumque multi tam subitam hominis fortunam mirarentur et extollerent, quidam ex ordine senatorum vir prudentissimus, mihique familiaris „ha“ palam clamitabat, „si hic aliquanto diutius inberbis et leni podice mansisset, poterat procul dubio ad episcopatum quempiam

sublimari“. Cum venia ex maxima commiseratione hec scripserim.

Neque enim ab re scripsit in silvis suis Baptista Mantuanus

„Vivere qui sancte cupitis, discedite: Romae
Omnia cum liceant, non licet esse bonum.“

Nec frustra in calamitatibus suis tam vehementer excanduit exclamans

„Tempora, Martigene, quid idonea perditis: ite,
Ite lares Italos et fundamenta malorum,
Romuleas arces et pontificalia tecta,
Colluviem scelerum temerate faventibus armis.“

Nec minus constanter Bernhardinus Pacensis in oratione sua post Innocentii octavi mortem in quosdam mores a Christianis virtutibus alienos invexit, et dudum itidem Franciscus Petrarca epistola XIX et XX absque titulo; lamentatur quoque id quisquis fuerit sequenti carmine non inelegans poeta

„Martia Roma prius fuerat, Cithereia nunc est:
Cesserunt aquile, signaque passer habet.
Sola Venus dispensat opes, dispensat honores.
Sola facit serva quicquid in urbe libet.
Roma caput scelerum, nivei jactura pudoris,
Exilium fidei luxurieque parens.
Extollit magnos¹ . . . paciencia turpis,
Sit procul in tenero cui sedet ore decor.
Tartara sunt molli potius adeunda juvente:
Si non est alius, sit tibi barba comes.“

Ut respondeamus tandem ambrosios, quid cure, si quispiam ex nostratibus, per fas forsitan et nefas, immo vix absque turpi nota fame proprie (que divitias excellit) ad episcopatum in Latio rubeumve galerum ascendat. Cum enim vix jam tandem eum honorem ambrosiosissimus per multos sudores et anxietates attigerit, senio gravis est eique potius de bona morte futuraque et sempiterna vita deque reddenda usque ad minimum quadrantem villicacionis sue racione quam de pompis hujus vani seculi amplificandis cogitandum erat: et quid ei proderit invidiosissimus fastus imperitique vulgi applausus, si anime sue detrimentum patiat? Anticristus si hac etate nasceretur opesque et honores sese venerantibus habunde prestaret, credo ego hoc hominum genus (uti audio) tam avarum tamque ambrosiosum, potius Anticristum divitem et ditantem quam Cristum, si ad terras rediret paupertatemque et divitiarum contemptum (uti olim fecit) predicaret, secuturum atque veneraturum. At dices, ubi bene-

1) Durch einen Flecken unleserlich gemacht.

ficia nisi Rome dispensantur? Ubinam adolescentes poterunt
 prebendas consequi, ins. . . .¹. Ad id ego: quonam pacto
 viri et adolescentes studiosi, precipue philosophi et theologi
 (quibus non est integrum posthabito studio aut inconventis aeris
 metu Romam accedere) ecclesiastica beneficia consequi possent,
 id ipsum Regie committo majestati principibusque et ecclesiarum
 prelatiis, qui Cristianam fidem amant, qui animarum salutem ex
 corde suo desiderant, quibus regni Gallorum in hisce negotiis
 circumspectio calcar et speculum esse posset, quamvis opere
 precium esse videatur execrandam curtisanorum avariciam cohi-
 bere, ne deinceps ex infima plebe genitus, nulla honesta scientia
 pollens, ad nihilque in ecclesia dei arduum idoneus, tres quatuor
 aut quinque (etiam intra eandem civitatem) pingues prebendas
 usurpet tantosque proventus absorbeat quantis duo Italie episcopi
 contenti forent, cum tamen illius virtuti et doctrine una sola
 capellania singulis heptomadis singulos aureos nummos inferens
 (si instar Christiani sacerdotis moderate vivere dignaretur) optime
 quadraret. Qui dicunt se tot tantisque prebendis pro statu suo
 egere, rationis lumen aliquantulum perdidierunt, iniqui in re
 propria sunt iudices, affectu non intellectu ducuntur, exemplo
 malo corrupti sunt. Pluto illos fallit ut ad se trahat. Exemplar
 sumamus in multis prestantissimis viris qui sufficienti et neces-
 sario Christi stipendio contenti ad aliud nequaquam aspirant,
 qui etiam vel in gymnasiis utiliter docent vel in collegiis devote
 caste serviunt vel in curatis ecclesiis cum tranquillitate ac magno
 animarum fructu predicant honestissimeque status suos traducunt
 et longe minus eris alieni quam illi prebendosi contrahere viden-
 tur, quum illi avidissimi curtisani nil nisi instrumenta scribere,
 citationes insinuare, beneficia litigiosa facere didicerunt. Novi
 plurimos beneficiorum mercatores qui toto evo pro assequendis
 sacerdotiis decertabant, ut gloriosi et venerabiles in vita sua
 viderentur, ubi autem vivis excesserant vix omni substantia
 omnique suppellectile relicta creditoribus ipsorum satisfieri po-
 tuisse. Exemplum accipiamus vel a Joanne Keiserspergio summo
 theologo et Christiane vite constantissimo precone libertatisque
 ecclesiastice ac apostolice sedis invictissimo propugnatore, qui
 quotannis vix centum et decem aureos nummos ex una prebenda
 possidet. Attamen honestissimum statum ducit, advenas honestos
 ad se vocat, largas pauperibus elemosinas impartit, volumina in
 dies precio parat, in ere reddendo nulli devinctus est. Num-
 quid tanto patre melior, numquid utilior, numquid in assequendis
 beneficiis dignior est alius quivis propterea quod in urbe ju-
 mentis preefuit, bullas scripsit citareque et appellare didicit:

1) unleserlich.

tanto inquam patre qui jam septem et viginti annos omni dominica solennique festo ac singulis totius quadragesime diebus exactissimas et utilissimas ad populum habuit conciones; et sunt (proh dolor) curtisani plerique dei et fidei (meo iudicio) contemptores qui illam Keiserspergii prebendam (cui tam arduum, tam utile tamque operosum predicationis munus annexum est) eo premortuo sese minantur Romanis bullis invasuros. Annon contra hujuscemodi hominum (si homines dici merentur) impiam cupiditatem rex noster gloriosissimus atque victoriosissimus Maximilianus ceterique cristianissimi principes aliquid justis et equis non solum cogitare, verum etiam apud summum maximumque Romanum et omnium ecclesiarum pontificem (qui cristiane fidei ac fidelium animarum [doctorumque virorum am Rande zugefügt] dux pastor est et unicum refugium) efficere atque impetrare jamdudum merito (ni fallor) debuissent. [Das Folgende ist von Wimpfeling's eigener Hand.] Et Pius papa secundus fatetur se multa doctis debere Augustinusque de Ancona liquido scribit pape interesse ut doctis atque studiosis de prebendis ecclesiasticis provideatur. Quare indignum mihi videtur theologie aut juris professorem non posse per gratias expectativas (pro quibus extrahendis XX aut plures aureos Romam misit) eque facile ac pacifice ad canonicatus aut animarum curas aditum habere quam is [lies eum?] qui adolescens (neglecto studio) ad urbem cucurrit ibique in belluas imperium habuit, equorum carceres aut lances extersit, bullas scripsit aut coquus pincerna pistorve fuit. Si ita Christi honori, Christiane fidei amplificationi, sedis apostolice auctoritati consulatur, viderint quorum interest [am Rande ammodo]. Misereor ego docilis juventutis, adolescentium optime indolis et virorum qui tot labores perpessi sunt, tot sumptus in gymnasiis fecerunt, quibus Sclavi barbari mulorumque custodes in assequendis beneficiis preferuntur. Plus satis divagatus sum clam in aurem tibi scribens. Adolescentem hunc iterum atque iterum tue commendo sollicitudini atque caritati. Vale ex Argentina XVI. Kal. Novembris 1505.